

dictum Capitulum citari fecimus, octavum diem festi Nativitatis Beatae Virginis eisdem coram nobis comparendi pro termino assignantes. Et quoniam eodem termino adveniente, idem Frater Henricus et fratres sui non curaverunt comparere contra Capitulum, Venerabili viro domino Joanne Archidiacono de Guerche, procuratore eiusdem Capituli legitimo, ipsorum contumaciam accusante; ideo eosdem Fratrem Henricum et suos fratres secundo et peremptorie fecimus ad nostram praesentiam evocari et citari, contra idem Capitulum, eis octavum diem post festum Omnium Sanctorum ex tunc coram nobis comparendi pro termino assignando: Quo termino occurrente et nobis in Claustro Sanctae Mariae nostri Ordinis existentibus Zagrabiae, propter copiam peritorum, praedictus Frater Henricus praeceptor sive commendator de Chernomel in Methlika comparuit in iudicio coram nobis. Cui quidem per praedictum dominum Joannem procuratorem saepedicti Capituli oblatus fuit libellus, in haec verba. In nomine Domini Amen. Anno eiusdem M^oCCCXXXIX, Pontificatus Sanctissimi patris domini Benedicti divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summi Pontificis Anno quinto, coram vobis domino Fratre Joanne Abbate Conventus Ecclesiae et Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis dioecesis, Iudice a Sede Apostolica delegato: Ego Joannes Archidiaconus de Guerche, procurator Capituli Zagrabiensis Ecclesiae, dico nomine eiusdem Capituli et propono: quod cum decimae, sive redditus decimales provinciolae Methlikae, sicut et aliae decimae in Archidiaconatu de Guerche, ex institutione et ordinatione antiqua, ratione quartae, de rebus sive bonis Episcopalibus Ecclesiae Zagrabiensis ad Capitulum eiusdem Ecclesiae pertineant, de cuius Ecclesiae dioecesanae existunt; Frater Henricus Ordinis Cruciferorum domus Theothonicae praeceptor sive Commendator de Chernomel in Methlika, et fratres sui de eadem domo, ipsas decimas cum suis participibus laicis ab aliquibus suis praedecessoribus tempore manifestarum guerrarum in Regno Hungariae, contra Deum et justitiam, in grave detrimentum et praeiudicium ipsius Capituli usurpatas percipiunt et hucusque perceperunt. Quare nomine procuratoris ipsius Zagrabiensis Capituli peto compelli eundem Fratrem Henricum praeceptorem, et fratres suos, desistere a perceptione eorundem reddituum sive proventuum decimalium in provinciola de Methlika, et ibi locis adherentibus, et ab impetitione sive molestatione huiusmodi compesci, et eidem Zagrabiensi Capitulo dictos redditus sive proventus decimales adiudicari, ac per vestram sententiam declarari: redditus sive proventus decimales in eadem provinciola de locis ibi adhaerentibus esse de pertinentiis decimationis Capituli supradicti, tamquam de existentibus infra limites Zagrabiensis dioecesis, usque Ecclesiam beatissimi Stephani Regis Hungariae de Zemch inclusive, quae Ecclesia cum sua Parochia et Capellis, circa et extra limites Aquilegiensis dioecesis existit, parte in illa, et abhinc limes protenditur per cacumen montium versus Aquilonem, directe quodammodo Ecclesias de Sihestain, de Sihembergh, et de Grachan ad Zagrabiensem Ecclesiam dioecesanam includendo, salvo iure mihi semper addendi, minuendi vel mutandi praemissa, vel ex eis aliqua, prout videbitur expedire. Actum in Claustro Sanctae Mariae de Zagrabia, anno et die praenotatis. Tandem ad petitionem eiusdem Fratris Henrici, pro se et suis fratribus, de consensu saepedicti domini Joannis Archidiaconi procuratoris Capituli antedicti, eidem Fratri Henrico et suis fratribus ad respondendum peremptorie ad praedictum libellum, et in contentis, concessimus pro termino octavum diem Na-